



1776.

- * 1. Keerius, Iacobus Fredericus: Rhapsodie
supplementa. Programma, quo ordinariis scolaro
et reliqui doctores fac. juri. solemnitas doctores
lia Iacobi Friderici Keerii indicant.
- 2 * Schamburg, Carolus Henricus, Comes a:
Rhapsodie supplementa. Programma, quo ordi-
nariis senior caeterique doctores fac. juri.
solemnitas Doctoralies Caroli Henrici S.R.Y.
Comitis a Schomberg indicant.
3. Bauerus, Henricus Gorupus: Legitimacionem
per subsequens matrimonium, nobilitatem
Germanorum iure non restituare.
4. Bauerus, Henricus Gorupus: Super decisione
St. Pauli. 18 J.A. 1746.
5. Bauerus, Henricus Gorupus: Terminus p. 2
C. de ree. vnde t.
6. Brunsing, Christianus Hes: An hator, qui papilli
sui natius factus a tubella etoratur?



1776.

7. Breuning, Christianus Huc: An legata eadem
primitas plures in eodem testamento plures
quique ab herede solvenda? 2.
8. Breuning, Christianus Huc: An conjugis in con-
jugis bona propria autoritate duxit succe-
dit ex dicto: unde res et axos.
9. Breuning, Christianus Huc: An haeresis
magistratus cum curatore mente capti
de heresitale illius valcat in determin. 16
cum cognitorum non consentientibus? 3.
10. Breuning, Christianus Huc: De matrimonio
cum secunda conjugie contracto priore non
repudiata
11. Breuning, Christianus Huc: De testamento no-
tario et duobus testibus oblatu.
12. Breuning, Christianus Huc: An vendito pug.
nosc a creditore semper libretur debitor?

1776

13. Breuning Christianus Huc : Reis furlivae deposito
14. Breuning, Christianus Huc : An eius portionis heretarice alienatio in hereditate, ejus, quod descendendi jure acquirit, alic. malio simul prohibita sit?
15. Breuning, Christianus Huc : In substitutio valeat in testamento parentum prior legato.
16. Breuning, Christianus Huc : An purgatorium in criminali causa a clero praesertim est justa remotionis causa?
17. Breuning, Christianus Huc : An locatus ob propriam locatae rei indigentiam conductorum expellens eagi posset, ut, si sufficerat partem polius concedat & conductor?
18. Breuning, Christianus Huc : An homines proprii lenocinios restituere sursum domestica scat die Translatu*re*, si ad ea presentia parenti

1776.

19. Breuning, Christianus Han: An in processu
executio per remedium ex l. si contentat
exceptiones tempore non portuare in j. N.
cicum de taci posint?
20. Breuning, Christianus Han: De exceptione testa-
menti inafficiori
21. Breuning, Christianus Han: An hypotheca in re
immobili a directo domino confirmata sit publica
22. Breuning, Christianus Han: De modo coacti di fidei
et stellionatus in rebus mercatorios
23. Breuning, Christianus Han: An defectus virginis
lis Declarationi nullitatis matrimonii conceda
locum?
24. Breuning, Christianus Han: An in rem coronacione
vindictam ab uno dominorum, nubilorum ab
debitum possit creditori immunitio dari?
25. Breuning, Christianus Han: An res vendita, non
vero hadita, si postea contractus vidi impingu
tur, fit in litigiosa.



1776.

26. Breuning, Christianus Nas: An eximius quis con-
ductor ex constituto possessorio possit ad haec
agere ex vendito. ex retrovendendum ea
pacto?
27. Breuning, Christianus Nas: An remedium
§ 2 P. de animal. except. tollat Publicianam
actionem reservoriam?
28. Breuning, Christianus Nas: De ipario cruditorum
privilegio expellendi operarios cum strepitata
la borantes.
29. Breuning, Christianus Nas: An privilegia con-
cessa h. tuto gratuito morte concedentis ex-
sparent?
30. Breuning Christianus Nas: An matricinorum
cum iuris et muta est legitum?
31. Vales, Iohannes Ritter: De exceptionibus post
interrogationem super litis contestatione extra
ordinem valide apponendis.
32. Fortiger, Thophilus Samuel: De numeribus eccl.
siastriis auctore apostolorum.

1776.

33. Francke, Henricus Gallius, fac. jus-procancellarius: Relite exambionis Gleichenii. Programma, quo solennia Doctoralia indicantur.

34. Francke, Henricus Gallius: Nominae precipuis mutationibus Universitas in Serenissimo Sacrum sodice gente Promotina visitati. Programma, quo ad solennia magistrorum invitat.

35. Funcklerus, Iohannes Gottlieb: De criminis omisione.

36. Green, August Fides Sigmundus, fac. jus-praeceptor cancellarius: An vidua, quae statu bessariorum portionem caput, pro herede mariti habende sit? Programma, quo solennia Doctoralia indicantur.

15.
Pr. 13. num. 33.
1776, 31.
DE
EXCEPTIONIBVS
POST INTERLOCVTIONEM SVPER
LITISCONTESTATIONE
EXTRA ORDINEM VALDE
OPPONENDIS.


P 472
ILLVSTRIS
ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE,
VT VIAM SIBI
AD SVMMOS IVRIS SCIENTIAE
HONORES APERIAT,


A. D. IV. APR. A. N. CICICCLXXVI.

DISPV TABIT

JOHANNES FRIDERICVS DOLES
AD VOC. I M M A T R.

LIPSIAE,
EX OFFICINA BREITKOPF







DE
EXCEPTIONIBVS
POST INTERLOCVTIONEM SVPER
LITISCONTESTATIONE
EXTRA ORDINEM VALIDE
OPPONENDIS.

§. I.

Inter diuersos iurisprudentiae pertractandae modos optima semper eorum vifa est ratio, qui non theoriae tantum, doctaeque distinctionum in singulis iuris capitibus a Ictis allatarum subtilitati, non raro ad demonstrandam magis criticae eruditionis grauitatem, quam ad veram in vita communi vtilitatem partimque litigantium compositionem spectanti, operam darent; verum etiam cum artificum illorum doctrina coniungerent praecepta pragmaticorum, quibus ad studia iuris civilis in usum proferenda cauſasque in foro orandas et iudicandas salubriter erudimur. Quod quidem eo magis necessarium est, quo longius a vetustis litigandi formulis Romanorum Germanici

*Cauſaſ ſcri-
ptionis.*

manici fori disciplina recedit. Quia de causa facile im-
trabimus veniam qui, cum ex illustris ICtorum Ordinis de-
creto scribendus nobis esset academicus aliquis libellus,
non ex elegantiore iurisprudentia, in qua tot excellentes
huius academie viri maiore cum subtilitate versantur,
quam ut aliquid dignum eorum eruditione proferre posse-
mus, sed ex penu iudiciae doctrinae, qua hodie vtimur,
argumentum pro virium nostrarum modo tractandum se-
legimus.

§. 2.

*Argumen-
tum.*

Quippe animus est de exceptionibus, praesertim iis
quae post litis contestationem atque adeo post rem iudica-
tam valide opponuntur, philosophari pauca atque propo-
nere. Ea res multiplici ex causa contemplationem mere-
tur. Nam profecto nullus est locus vniuersi iuris totius-
que rei iudiciae, in quo maior cernatur humanitas, quam
in adiuuandis iis, qui vel inimicorum iniuria, vel malorum
hominum fraude perniciofis implicantur litibus, optime-
que adeo egerunt iuris auctores, qui ad actoris impetus
repellendos reis exceptiones prodiderunt. Sed modo et-
iam hac in re opus est, vt lites habeant exitum, neque in
aeternum protrahantur, maxime vero ne actoribus iuste
agentibus pro iure reddatur iniuria. Quae ideo adhibita^e
fint a Praetoribus cautiones, et ad quas leges adstrictum sit
iudicis religiosi officium in exceptionibus admittendis vel
reiiciendis strictim commemorabo. Nec vero monitori-
bus asperum me reperient, qui errores forte in scribendo
admissos humaniter emendabunt, quorum ego reprehensiones
sic demerebo, vt nos vtile magis et verum curare,
quam cupiditate laudis incensos esse intelligent.

§. 3

§. 3.

Sed antequam rem ipsam adgrediamur, generatim
quaedam de causis, definitione, ac primariis divisionibus
exceptionum praemittenda sunt. Omnis igitur exceptio-
onis fundamentum atque basis est *Actio*, qua, generaliori
sensu sumta, in iudicio omnia, quae debentur, persequi
solemus. pr. *Inst. de actione*. Pressius dicam verbis re-
centiorum: actio est remedium coactuum iudiciale, quod,
si spectat iura reipublicae erga reos facinorosos sumen-
damque de iis poenam publicam, *accusationis*, si iura
obligationesque priuatorum, quod genus nostrae nunc in-
spectionis est, *actionis* stricte talis, nomine venit. Ita sal-
tem nobiscum NETTELBLADIO in noua Introduct. in Iu-
rispr. Germ. commun. pag. 845. §. 992. res exponenda vi-
detur.

§. 4.

Vbi igitur nulla est actio, ibi etiam nulla exceptio. *Ulterior ex-
plicatio*.
Vnde IVSTINIANVS pr. I. de exceptt. exceptiones recte
ait comparatas esse eorum descendendorum gratia, cum qui-
bus agitur. Pluribus rem exposuit ZANGERVS de ex-
ceptt. P. I. c. 3. n. 8. Sane quandoque *actor* etiam in
iure dicitur *excipere*, dum replicat ad adserita rei l. 2. §. 1.
l. 22. §. 3. D. de exceptt. aut in iudiciis duplicibus, ubi
vterque actoris itidemque rei, a quo petitur, vice fungit-
ur, et quae alia sunt huius rei exempla. Sed his casibus
aut exceptio generali sensu sumitur pro qualicunque alle-
gatione aduersariae assertioni contraria, aut actoris reiue
partes pares sunt, solaque praeventione aestimantur. l. 10.
D. fin. reg. l. 2. §. 1. D. comm. diuid. et in illa priori
specie constat omnino, cum, qui initio litis actoris perso-
nam induerat, cum reus excipiendo fit actor, deinde partes
rei replicando suscipere.

A 3

§. 5.

§. 5.

*De notione
et definitio-
ne exceptio-
nis.*

Etenim exceptio ipsa dupliciter dicitur vel late vel stricte. Illo quidem sensu est assertio intentioni aduersarii litigantis cuiuscunque contraria; hoc autem specialiori significatu consistit in assertione rei intentioni actoris contraria, vel in allegatione momenti cuiusdam iuris vel facti, quo actoris intentio remoueatur. Quanquam itaque secundum Imperatorem *pr. Inst. de exceptt.* exceptiones comparatae sunt defendantorum eorum gratia, cum quibus agitur; notandum tamen, eas a responsione ad actionem, seu simplici affirmatione vel negatione eius, quod actor ad fundandam intentionem suam profert, quae *litis-contestationis* nomine insigniri solet, in eo praesertim differre, quod non fiat per simplicem affirmationem aut negationem eorum, quae actor vera esse contendit, et in quibus intentionis suae praefidium collocat, sed per assertione momenti vel circumstantiae cuiusdam peculiaris, quo quae intentio eius aut penitus aut partim elidatur.

§. 6.

*Confirmatio
priorum.*

Optime, quod Imperatorem scripsisse diximus, confirmatum et explicatum esse nobis videtur *VLPIANI* in primis, *PAVLLIQUE* in Digestis definitionibus. Dicta enī exceptio est *VLPIANO l. 2. ff. de exc.* quasi exclusio quae-dam, quae opponi actioni cuiusque rei solet, ad eludendum id, quod in intentionem condemnationemue deduclum est. Definiuit *VLPIANVS* exceptionem ab effectu, cuius praeципuum hoc est, ut excludat actionem, seu, ne verbis inhaerere videamus, ut progressum institutae actionis impeditat. Quum itaque exceptio semper anteponat actionem, excipere nihil aliud est, nisi: *agere contra actionem institutam.* *l. 1. ff. de except.* Qualis vero sit

fit haec actionis exclusio, ipse VLPIANVS docet verbis sequentibus, quibus eam comparatam esse debere contendit ad excludendum id, quod in intentionem condemnationem deductum sit, hoc est, quod actor pro causa petiae condemnationis attulerit. Nec dissimilis, quam PAVLVVS l. 22. D. de exc. adiecit, est definitio, quod nempe exceptio sit conditio, modo eximens reum damnatione, modo minuens damnationem.

§. 7.

Sunt, qui dicant, has definitiones intelligi tantum Remouentur
debere de exceptionibus *peremptoriis*; a quorum partibus dubia quae-
discedit ZANGERVS, cui in minutione damnationis, de
qua in illa lege mentio fit, species quoque adesse videtur
exceptionum dilatoriarum, quanquam ille his ipsis dilato-
ris in toto exceptionum agmine aegre locum relinquit pro-
pterea, quod non excludant, sed differant tantum actionem. Sed neutra opinio nobis omnino adoptanda videtur.
Neque enim VLPIANVS l. 2. ff. de exc. de vera solum et
perpetua, sed de temporaria etiam actionis exclusione loqui-
tur, quam exceptiones dilatorias, litis sane ingressum, aut
progressum impedientes, quam maxime efficere dubio caret,
ideoque non bene tantum agere, sed et omnes doctorum
super hac re differentias praescindere nobis videntur, qui-
bus exceptio esse dicitur: *allegatio quaenam causae ad*
defensionem rei, intentionemque actoris elidendam dif-
ferrendamque habilis. Itaque etiam PAVLLVS exceptiones
dilatorias definitione sua complexus est. Nam vt vel *actio-*
nis nondum natae exceptionem, quae ob antiqui iuris
rigorem ante Zenonis Augusti tempora omnem intentio-
nem penitus perimebat, commemorem, adeoque nouo
iuri omnino aptare PAVLLI VLPIANique definitiones
connitar:

connitar: quidni tum quoque minui dicatur damnatio, cum excipiendo reus ostenderit, damnationem ante diem, aut praefandis nondum praestitis peti?

§. 8.

De variis exceptionum diuisionibus. Omnis vero exceptio diuersimode ratione caussae efficientis, subiecti, accidentis, formae, et effectus consideranda est, vnde variae earum diuisiones constituuntur, prout ex hoc vel illo fonte originem ducunt. Quarum cum infinitus pene sit numerus, multaeque sectiones in puluerem factae, aut magis a methodo diuidentium profectae, quam ex ipso vsu depronatae videantur, attingemus tantum diuisiones maxime memorabiles, illas potissimum, quarum in sequentibus ratio habenda est.

§. 9.

I.) *De exceptionibus ciuilibus et praetoriis.* Igitur plerique primo loco exceptiones dispescere solent in *ciuiles et praetorias*, hoc est eas, quae ex legibus et iure ciuili, et alteras, quae ex iure praetorio seu honorario descendant. Sed huic diuisioni, cum tota sit Romana, et nullius in foris nostris vslis, immorari nolumus, id tantum animaduertentes in transitu, primos omnino praetores, vt iuris stricti iniuriam corrigerent, reis exceptiones dedisse: quorum deinde inuentum nouae leges et Senatusconsulta imitata sunt, imperatores etiam in constitudo iure retinuerunt, et nouis exemplis auxerunt. Sic legi duodecim tabularum: *rei furtuae aeterna autoritas esto*, lex Atinia exceptionem opposuit: *nisi ad priorem dominum reuersa fit*. Senatusconsultorum autem, quorum exceptio vel hodie agentibus obstat, v. g. Velleiani, Macedoniani etc. magnus est numerus, adeoque in mentem venit BRENCKMANNO, viro doctissimo, numquam

quam Senatum directas suis legibus actiones dedisse, sed aut utiles tantum, aut saltem exceptiones. Quicquid eius rei sit, utrum ex ciuili an honorario iure ortum ducat exceptionem, in foro non admodum refert. Nec videtur maioris momenti quae a nonnullis hoc loco moueri solet quaestio: Utrum exceptiones ex iure gentium, an ciuili ortae sint? Quot enim hac de re sermonem faciunt Doctores, tot sententiae; et mirifice praesertim in exceptione pacti conuenti discrepant, quam BOGER. ad l. 23. D. de R. I. c. 1. n. 5. iuris gentium esse diserte statuit, contrariam rationem propugnante CVIACIO ad l. 7. d. pact. Haec vero et alia plura longa oratione persequi ab instituti nostri ratione alienum videtur, tametsi facile esset ostendere, totam illam de iure gentium controversiam non immerito ad logomachias referri, cum omne quidem ius naturale certum sit atque immobile, sed leges seu verba et formulæ, quibus nos miseri mortales illud includimus, siue id per sermonis, siue per ingenii nostri ineptitudinem accidat, frequentissimas omnino patientur exceptions.

§. 10.

Veniamus ad discrimen, quod a plerisque ponitur II.) *De exceptionibus*
quasi primarium, nempe exceptionum facti et iuris. Illas *exceptionibus*
etiam intentionis arg. l. 66. D. de iudiciis; has *actionis facti*.
exceptiones et proprie *praescriptiones* appellant, quod
nomen in legibus frequentissimum est. v. tot. tit. D. de
Exceptionibus, praescriptionibus et praeiudiciis ibi-
que MENKENIVS, WESTEMBERG et HEINECCIVS.
Inter utrasque hoc interest, ut, cum obligationi mere ciuili siue naturali quidem, at iure ciuili aut infirmatae aut non confirmatae, opponitur allegatio iuris praetorii vel
cuiuscunque legis recentioris, quae iudicis sententia velit
istam

B

istam obligationem mere ciuilem rescindi, hanc et si naturae et gentium ius validam improbauerit sive iudicali auctoritate persecutionem eius destitui iusserit, *iuris* dicatur exceptio, cuiusmodi sunt doli, metus, Senatusconsultorum Velleiani et Macedoniani praescriptiones; si obligatio, quae tam naturali quam ciuili iure valeret, novo facto v. g. solutionis, compensationis, remissionis, dicitur sublata esse atque extincta, certe actio inde enata pacto de non petendo ante certum diem aliusue similibus actionibus in ulterius tempus dilata esse, quoniam facta magis, quam iura in exceptionem veniunt, *facti* exceptiones oppositae esse dicuntur.

§. II.

Amplifica-
tio.

Sed vt tota distinctio ex diuersitate modorum, quibus iuxta Romanae iurisprudentiae regulas obligations tolluntur, originem duxit, et, quoniam omnis obligatio ipso iure perpetuatur, certi vel incerti condicione v. g. per solutionis aut compensationis exceptionem exclusa, non ipso iure non tenere, sed ope exceptionis perimi, dicta est: sic ex recentioribus iureconsultis alii sive nullam sive non admodum magnam in foro hodierno huius divisionis utilitatem esse contendunt, inter quos est TITIVS obf. ad LAVTERBACH. 1112. non valde repugnante MENKENIO D. tit. cit. §. 2. Alii subtilius animaduertunt, *omnes exceptiones facti esse*; nam vbi facti allegatione et probatione ad excludendam actionem non opus sit, actionem ipso iure nullam haberi, non opposita demum exceptione elidi. Quae obseruatio nobis valde pragmatica et fructuosa videatur. Nam cum quaeritur de officio iudicis, si praescriptio longi temporis, Macedoniani et Velleiani SCti, et similes exceptiones, quae iuris esse dicuntur, a reo non sint oppositae

positae, forte etiam is rite citatus non comparuerit, quam quaestione attigit B. HOMMELIUS in Praeceptis relationum et sententiarum conficiendarum (*Anleitung Gerichts Apha geschildert zu extrahiren etc.*) P. I. cap. 3. §. 39. unice distinguendum esse videtur inter ea, quae facti sunt adeoque allegari debebant et confirmari, et ea, quae ipso iure intelliguntur. Quod si igitur a filio familias condicitur certum ex mutuo, nec actor pecuniam in rem debitoris versam esse commemorat, nulla actio petitioque dabitur per l. 1. D. de SCto Macedoniano. Si ex Actis non liqueat, filium familias pecuniam mutuam sumisse, exceptio non opposita reo non prodest: igitur quod petitum est, in condemnationem deducitur. Mulieris intercessio ipso iure nulla, adeoque improbanda actoris intentio muliebris intercessionibus nixa, nisi, quam Germanici fori usus admittit, renunciationem SCti, libello suo complexus sit. Fac vero, non liquere neque ex libello actoris, neque ex cautione mulieris libello forte adiecta, vtrum principalis obligatio aliena, an ipsius mulieris sit, omisso exceptionis vtique nocebit mulieri. Quae cum ita sint, malim dicere, exceptions iuris proprie non exceptions esse, sed prohibiciones; e contrario omnes exceptions, proprie tales ex facto duci, quod et allegari debeat, et ab allegante probari: igitur istas quoque, quae iuris esse dicuntur, quatenus facti quaestio est, vtrum haec negotii indoles et conditio sit, quam iura prohibeant, eatenus tantum in exceptionum numero ponit. Longe alia philosophia M ENKENII in Pand. l.c. sed ducta illa ex notionibus non satis distinctis.

§. 12.

Vulgo inter exceptions iuris illam quoque commemorant, si quis allegata iuris ignorantia se defendere studet. *Ulterior amplificatio.*

B 2

Quae

Quae tamen et ipsa facti est, et ab allegante probari debet, de cuius probationis modo ac ratione IOSEPHVS MASCARDVS de Probation. Vol. II. concl. 637. seqq. copiose differuit. In vniuersum autem videndum est, vtrum talis error aut ignorantia iuris allegetur, qualis siue in acquirendo siue in amittendo saltem alleganti non noceat. Praecclare post alios rem exposuit IO. MARQVARDVS in Exercit. de Condictione indebiti ob errorem iuris soluti. Itaque ignorantia iuris naturalis nemini prodest; quanquam eos, qui usum rationis non habent, crimen eximit. Cae teri non audiendi sunt, qui v. c. ex SCto Turpiliiano, vel actione iniuriarum, vel iudicio de famosis libellis accusati, ignorantia iuris se tueri velint. Nam et politica ratio aequa ac naturalis iis obsistit; haec, quia alteri non debes facere quod tibi non vis fieri; illa, non modo ob fidem negotiorum, quae si mentiri ac fallere fas esset, tota periret, sed etiam ob expressas hac de re constitutiones, inter quas est lex Cornelia de iniuriis et famosis libellis, lex Rheminia de calumniatoribus aliaeque. Nec refert, si quis poenam statutam se ignorasse ait, error fit iuris communis aut statutarii. Modo natura factum vetet, cuius reus fiat, ne poena quidem statutaria eum eximi, aut in integrum restitui debere, omnes consentiunt, idemque pluribus affirmat ZANGERVS P. III. cap. 14. n. 121. seqq. Quibus vero personis error iuris civilis restitutionem operetur aut excusationem, cum longiorem tractationem requirat, quam ratio instituti nostri fert, haud aggredimur enarrare.

§. 13.

III.) *De exceptionibus realibus et personalibus de exceptis.* Pergamus iam ad exceptions reales et personales, quae diuisio in ipsis legibus obuenit. Nam l. 7. §. 1. D. et personalibus, exceptions personales personae cohaerere, et

et ad alios non trānsire, reales vero, rei cohaerentes, et fideiūfforibus, et omnibus, quorum interest, competere dicuntur. Affirmant quidem plurimi Doctores, exceptio-nes regulariter esse *reales*, atque ad l. 19. D. de exc. huius rei causa prouocant. Sed, quanam ratione ex hac lege probare velint sententiam suam, nos profecto non videmus. Dicitur quidem hac in lege, *omnes exceptiones, quae reo competenterent, fideiūffori quoque, initio etiam reo, competere*, sed id ipsum de solis exceptionibus realibus dictum est, adeoque ad exceptionem pacti, ne a reo principali petatur, vtpote fideiūffori, qui forte beneficio ordinis renunciauit, non competentem, haud pertinet. Vereor itaque, vt exinde colligi possit: omnes omnino exceptiones regulariter esse reales. Itaque maneamus in hoc, vt in dubio aut in vniuersum potius de realitate vel personalitate exceptionum nihil dici posse dicamus. Pendent enim omnia a qualitate causae et circumstantiis, prout exceptio pertinet ad ipsam materiam litis, vel ad personas in processu occurrentes.

§. 14.

Iam vt adiiciamus nonnihil de personalibus, hae mox *De persona-*
ad iudicem iudiciumue, mox ad litigantes spectant. Illae *libus in spe-*
partim ex ipsis persona, vt exceptio incompetentiae, praec-
ventionis, suspecti iudicis etc. partim ipsis occasione pro-
ueniunt, vt exceptio loci non tuti, termini angusti, feria-
rum etc. Eae, quae ad litigantium personas pertinent,
partim ab ipsis litium dominis arcessuntur, v. g. ab actore
exceptio cautionis nondum praestitae, nondum finitiae con-
ventionis, deficientis legitimationis ad causam, quae et reo
ad litem se offerenti obiici potest, praeterea a reo pluri-
mae replicae, ne quid dicamus de iis, quae vtrinque oriri
possunt,

possunt, veluti exceptio iusti impedimenti, contumaciae, inhabilitatis: partim repetuntur a personis accessoriis seu minus principalibus, cuiusmodi est exceptio deficientis mandati, aliaeque.

§. 15.

*De exceptio-
ne contuma-
iae specia-
tim.*

Sunt quidem, qui exceptionem contumaciae actori tribuere tantum velint, inter quos primarius est OLDEN- DORPIVS in enchirid. exceptt. pag. 61. Sed, si ego quid video, male. Nam 1. 13. §. 2. et 3. C. de iudiciis late commemorat contumaciam non modo rei sed etiam acto- ris, et, quid in vitroque casu faciendum sit, pluribus disponit. Exinde autem sequitur, vt non modo actoribus, sed etiam reis exceptio contumaciae competere possit, ac de- beat, vti v. c. si actione instituta actor in termino emanse- rit, vel praefanda non praefiterit, reus vicissim cogi non potest, vt citationi morem gerat, sed exceptione contu- maciae omnino est tutus.

§. 16.

*IV.) De ex-
ceptionibus
nominatis et
innominatis.*

Divisio exceptionum in nominatas et innominatas ab accidente est. Scilicet aliae speciale nomen habent, aliae non. Innominata est in factum exceptio 1. 14. ff. de ex- ceptt. §. 1. I. eodem 1. 2. §. 5. ff. de dol. mal. et met. ex- cept. Nomen autem habent potissimum eae, quae vel ex legibus solis descendunt, vel saltē legibus ipsis compro- bantur. Contra nomine destituuntur, quae ex sola aequi- tate naturali descendunt. Nam quae non tam legibus, quam ab aequitate suadentur, ea a lCtis vocantur facti esse, aut in falso posita.

§. 17.

§. 17.

Sed ad nos in praesenti pertinet potissimum diuisio ex v.) *De exceptionibus dilatoriis, peremtoriis, et litis ingressum impedientibus.*

ceptionum in dilatoria et peremtoria. Dilatoriis ingref-
sus litis non quidem paecluditur, sed tamen differtur, adeo
vt, donec illae remotae sint, reus ad contestandam vel
fuscipliendam litem cogi non possit. De his scribere, quo-
niam eatenus tantum professi sumus, quatenus, quod raro
contingit, post litem contestatam aut rem adeo iudicatam,
opponi queunt, satis sit, heic loci animaduertere, eas vel
fori declinatorias esse, vel dilatoria in specie sic dictas, et
regulariter non attendi, nisi ante litis contestationem op-
positiae atque in continenti probatae fuerint. Quod si ta-
men ea ipsarum indoles et natura sit, vt ad ipsam quoque
litem perimendam conuerti queant, omnia, quae de per-
emtoris constituta habemus, iis aeque conueniunt. Vo-
cantur autem *peremtoriae*, quae intentionem actoris eli-
idunt, et vel litem omnem, vel partem eius quasi perimunt,
cum scilicet reus allegat contra actorem circumstantias, ob
quas a praeestatione rei, quae peritur, liberetur. Hae si
in continenti liquidae sunt, neque litem pro parte minuunt,
sed omnem intentionem actoris omnino tollunt et peri-
munt, ob hanc ipsam causam *litis ingressum impedien-
tes* dicuntur, vt potest quae efficiant, vt propter euidentem
actoris temeritatem ne litis quidem contestatione opus sit,
quemadmodum apud veteres Romanos in hoc casu non
opus erat dandis iudicibus, sed magistratus iuris dicundi
temerarium actorem confessim a limine iudicii repellebat.
Non sum nescius, doctores plerosque conari certum nu-
merum exceptionum litis ingressum impedientium consti-
tuere. Verum hanc quidem eorum operam perdi cum vi-
ris eruditissimis arbitror. Omnis enim exceptio peremto-
ria, si vniuersam litem perimat, atque in continenti liquida-
fieri

fieri possit, litis ingressum impedit, reumque a litiscontestatione liberat. Quin, et si lis pro parte tantum ministratur, non inepte dici potest, vbi exceptionis veritas statim apparet, ingressum litis impediri pro ea parte. Fac enim plures res peti uno libello, v. g. equum, domum, et filiam; ostendere reum, equi et domus praestationem ipsi ab actore remissam esse, allata forte huius epistola, quae iudicem hoc doceat et quam actor diffiteri non possit. Lis de equo et domo ita confessim perempta erit, vt eam amplius ingredi non sit necesse, sed reus ab ea statim absoluatur, quanquam lis de filia adhuc dum superest, siue agerit reus causam petendi ab actore narratam, siue causas liberationis non in continentibus liquidas opposuerit, vt adeo illo casu actori, hoc ipsi reo probatio per decretum iniungi debeat. Quae cum ita sint, facile intelligitur ratio, cur aliqui non omnem literam, sed partem modo litis perimi debere exceptione litis ingressum impediente statuant. Nam si in exemplo proposito reus ad partem libelli de equo et domo agentem, exceptione tutus, non responderit, neutiquam in poenam confessi incidet, neque ipsi iniungetur responsio. Alterutrum autem, quod ad tertiam partem, siue de filia narrationem pertinet, vtique decernetur, obseruato discrimine legis iudicariae et praeiudicij, quod prior citatio vel sententia reo contumaci fuerit comminata. Sed et in alio themate, vbi unum modo obiectum libello et petitione sua actor intendit, v. g. 100 imperiales condicens ex mutuo, opposita exceptione solutionis 50 imperialium eaque in continentibus probata, reus ob contumaciam in non respondendo admissam non torius, sed dimidiae litis damnabitur, et a reliqua parte dimidia ob vim exceptionis litis ingressum impeditis, oppido absoluetur.

§. 18.

§. 18.

Sunt autem exceptiones *in continenti liquidae*, qua- VI.) *De ex-
rum veritas aut ex instrumentis indubitatis, aut ex propria ceptionibus
partis aduerfae confessione, aut ex Actis judicialibus deduc- liquidis et
tum; cum e contrario eae, quarum veritas modis proban illiquidis.
di tractum temporis requirentibus deducitur, *illiquidae*,
seu *altioris indaginis* dicantur. Luculenter id apparet
ex C. El. 8. Partis II. O. P. Sax. tit. II. et Decif. El. 12. Vnde
facile est iudicatu, an exceptio, de cuius veritate per iura-
menti delationem demum constat, *in continenti liquida-*
dici possit. Nam et si doctores iuris communis plerumque
id affirmant, subtiliter tamen responderet LEYSERVS: so-
lam iuramenti delationem nihil reddere posse liquidum,
quoniam in delati arbitrio positum, vtrum iuramentum ac-
ceptare, an referre, vel conscientiam per probationem ex-
onerare velit, id quod semper cum ambagibus est coniunctum.
Quod quemadmodum in foro Saxonico magis,
quam alibi verum est, vbi defensio conscientiae per proba-
tionem exulat, sic inde factum videtur, vt passim extra Sa-
xoniam in ipso processu executivo ad probandas exceptio-
nes iuramenti delatio admittatur. Omnino ubi iuramen-
tum super omnibus exceptionibus delatum confessim acce-
ptauit actor aut retulit, nec debet vterior exceptionum
probatio iniungi, nec solet, sed statim causa praestito iure-
iurando deciditur.*

§. 19.

Postquam igitur haec ita disputauimus, necessarium *Oppositio-*
est, vt ad rem ipsam progrediamur. Itaque Romani reis *exceptio-*
adeo fauebant, vt tempus excipiendi non desinirent, sed *nun iure*
arbitrio reorum relinquenter, quo velint tempore exceptio- *Romano*
nes proferre. Nam in vniuersum leges Romanorum in fa- *non restri-*
vorem *ta.*

C

vorem

vorem reorum proditae sunt, et quibuscumque modis iis prospicere solent. Quo factum, ut toto litis progressu reus ex iure Romano posset excipere, prout aut exceptiones nascantur, aut ipse libeat iis vti.

§. 20.

Iure Germanico res restricta.

Quo minus autem hoc iure restricta oppositio exceptionis, eo magis hoc, ne quid dicamus de iure canonico, factum est legibus germanicis. Ordinatione enim camerale reus dilatorias exceptiones summarie, et quidem in primo termino sub poena paeclusionis proponere tenetur. Quod Recessu Imperii nouiss. anni 1654. §. 37. his verbis confirmatum est: *Wenn nun der Kläger seiner Seits in Termino reproductionis allem ein Genüge geleistet haben wird, so soll der Beklagte ebenmäig in primo Termino erscheinen, und weil er sich aus der Ladung und beygefügten libello, auch einverleibten Gehalt der Action auf die Sach unter währenden Erscheinungstermin genügamt bedenken, auch seinem Anwalt Bericht und Handlung zustellen können, in diesem Termin auf die Klage mit hinfüriger Verwerf- und Abscheidung des Wegs der Peremtorialien, Elissiv, Additional und anderer wascrley Artikeln, nur allein die probatorialien ausgenommen, kurz, neruose, und deutlich, auch unterschiedlich und klar, ob und worinn das factum anderst als vom Kläger vorbracht, und wie es sich eigentlich verhalte, specifice und auf jeden Puncten, mit all seinen Umständen anzeigen, wie auch was er dabey dilatorie oder peremtorie einzuwenden haben mögte, alles auf einmal bey Strafe der Praeclusion einzubringen etc.*

§. 21.



§. 21.

Eodem redeunt quae in *O. P. Sax. tit. XI. §. 1.* statuta sunt. Omnes enim exceptiones dilatoriae in primo statim Termino simul opponi, et litiscontestationi adjungi iure Saxonico debent, addita tamen §. 2. eod. limitatio ne quadam in fori declinatoriis, quae, si grauiores sunt, litis contestationem differunt, donec de hisce cognitum sit: *Es hätte dann einer so ansehnliche Declinatorien vorzuwenden, dass sie, ob er vor denen Gerichten, dahin er citiret, zu stehen schuldig, einen billigen Zweifel verursachen könnten, auf welchen Fall er die litis Contestation bis über denen Declinatorien erkannt, einstellen mag.* Quod et Rec. Imp. noviss. d. §. 37. in fine monitum.

*Idem cau-
tum in Sa-
xonia Ele-
ctorali.*

§. 22.

Cum vero nulla sit regula sine exceptione, etiam ab hac, de qua in praecedentibus est dictum, multae dantur exceptiones. Opponi enim interdum exceptiones non nullae queunt non tantum lite dudum contestata in progressu, sed etiam in fine litis, quin in ipso adeo executio nis actu. Videtur quidem hoc aduersari Doctorum praeceptis, qui omnes omnino exceptiones vel ante, vel statim post item contestatam, neque adeo tardius opponi debere statuant, idque comprobare solent tum aliis Imp. constitutionibus, tum in primis sanctione recessus Imp. Spirensis de an. 1570. §. 80. *Der Beklagte soll im zweyten Termine seine Declinatorias oder andere Exceptiones durch das Recht differiret, oder die Kriegsbefestigung verhindert werden sollte, zu produciren, daneben in scriptis item eventualiter, Oder da er dergleichen Eynreden keine hette, pure zu contestiren, und zugleich seine*

*Nonnum-
quam etiam
post lit. con-
teft. exce-
ptiones op-
ponere licet.*

seine peremitorial oder defensional Artickel vorzubringen schuldig sein. Neque vero euertenda est illa regula, sed tantum in nonnullis casibus limitanda. Quod ut planius intelligatur, nunc de duobus, quae aut in progressu aut in fine adeo litis valide opponi possunt, exceptionum generibus paulo plura dicere, et nonnullas earum recense re nobis liceat, additis regulis, ex quibus res aestimanda videtur.

§. 23.

Proponitur prima limitatio. Opponi autem ex diuersis cauiss in progressu litis exceptiones possunt, quarum *prima* est, si noviter emer-
gunt, aut *post litem* demum contestatam ad notitiam
rei perueniunt, id quod iam est sancitum graui constituti-
tione Innocentii III. Pontificis Romani c. 4. X. de exceptt.
Quoniam per dilatoria exceptiones malitiose nonnum-
quam *censurarum terminatio* prorogatur, *inquisitioni*
tuae respondendo decernimus, ut intra certum tem-
pus, a iudice *ad signandum*, omnes dilatoriae propon-
nantur, ita, quod si partes extunc voluerint aliquas
opponere, quas non fuerint protestatae, nullatenus au-
diantur, nisi forte aliqua de nouo sibi competens ex-
orta fuerit, vel is, qui voluerit eam opponere, fidem
faciat *iuramento*, se postmodum ad illius notitiam per-
venisse. Etenim tenendum est, hac in re nudis allegantia-
tum assertionibus non credi, sed opus esse, vt allegans iu-
rato confirmet exceptionem, qua *post litem* contestatam yti-
velit, reuera ipsi nunc demum innotuisse, nisi eam ne anteā
quidem natam fuisse appareat. Vid. BERLICH. concl. 18.
n. 24: ZANGER p. II. c. 27. n. 7. MARTIN. proc. Saxon.
tit. XI. §. 1. n. 54.

§. 24.

§. 24.

Hoc, quod diximus, illustrare lubet aliquot exemplis. *Illustratur
hoc aliquot
exemplis.*

Iudaeus Titio vendit horologium. Titius ad soluendum pretium intra spatum sex hebdomadum sese obligat. Sed eo differente solutionem, Iudaeus ad soluendum contra eum agit. Titius igitur litem contestatur, sed hoc facto, horologium a Iudaco sibi venditum, Sempronio antea furto ablatum esse audit. Valide igitur tunc et post litem contestatam Iudaeo opponit exceptionem *rei furtiae*. Ponamus aliam speciem. Sempronius vindicat praedium suum Tusculanum a Lucio. Lucius opponit exceptionem fundi a Maevio, consentiente Sempronio, pignoris loco obligati et traditi. Negat Sempronius se in obligationem traditionemque pignoris consenserisse. Probatione exceptionis reo iniuncta ecce! moritur Maevius, Sempronio haerede relitto. Nec mora. Sempronius adit haereditatem. Quo facto quia pignoris etiamsi eo inuitu dati obligatio conualescit, exoritur noua exceptio, qua Maevius aduersus vindicantem Sempronium recte vitetur.

§. 25.

Altera species exceptionum, quas etiam post litem contestatam obiicere agentibus licet, consistit in iis, quae, tatio-
quemadmodum aiunt Doctores, iudicium retro reddunt nullum, hoc est, quibus ea, quae ab initio et in progressu litis acta sunt, ex consequenti vel ex post facto infirmantur et inutilida redduntur, quasi plane non acta fuerint. Com-
probavit hoc tum natura rei, tum in primis rescriptum INNO-
CENTII III c. 4. X. de procurat. qui quidem hanc in rem
scribit: falsi procuratoris exceptio non solum ante senten-
tiam, verum etiam postea potest obici iuxta cano-
nicas et legitimas sanctiones, utpote qua probata in-
dicium

dicium nullum et nullius momenti controuersiae reputantur. Vnde etiam fit, vt eiusmodi exceptions vel defectus potius iudicij ex officio a iudice debeat attendi aut potius suppleri, quemadmodum c. 12. X. de exceptt. eleganti excommunicationis exemplo illustratur.

§. 26.

Pertinet huc
imprimis
exc. deficien-
tis legitima-
tionis.

Commode constitutio Innocentii defectum legitimatis meminit, quae quidem exceptio in hoc genere quasi eminet, nec solum ante litis contestationem, quemadmodum regulariter fit, sed etiam in toto progressu litis obuersti potest. Nam in regula sine legitimatione nemo ad agendum admittitur, fieri tamen potest, vt ius agentis sit dubium, isque adeo ab initio statim repelli nequeat, sed per exceptionem demum remoueri debeat. Quoniam vero hic defectus legitimatis post item contestatam apparere demum potest, eam etiam mediante exceptione in quaunque iudicij parte urgere licet. Ad validitatem enim processus legitimatione adeo est opus, vt ea deficiente, totus sit nullus et irritus. Quapropter etiam iura praecciunt, vt iudex diligenter videat, ne quis illegitimatus in iudicium descendat, iubentque eum adeo hanc exceptionem ex officio attendere.

§. 27.

Dicitum de
legitimatio-
ne ad cau-
sam.

Iam cum duplex sit legitimatio, altera ipsorum litigitorum, qui aiunt causam vel dominium litis ad se pertinere, altera tutorum, curatorum, procuratorum, syndicorum, actorum, et omnium omnino, qui alieno nomine lege agunt, quarum illam *ad causam*, hanc *ad processum* fieri pragmatici dicunt, tenendum est, ab utraque repeti posse exceptionem deficientis legitimatis, sic, vt litis-

con-

contestationi etiam non annexa opponi possit. Nam vt a priori ordiamur, fac, Sempronium actionem instituisse contra Paullum. Deinde discedere sine liberis legitimis. Superueniat deinceps Caius, qui Sempronii nomine litem coeptam persequi cupiat. Quaero, an Paullus habeat exceptionem deficientis legitimationis, quanquam lis contestata sit? Nec dubium est, eum vtique excipere posse. Nam causa Sempronii ad Caium non pertinet, nisi doceat se vel haeredem Sempronii ex testamento vel successorem eius legitimum aut pactitium vel redemptorem litis esse, et quae sunt alia, quibus causae aliorum valida ratione in alios transferri possunt. Sed de legitimatione ad causam nemo dubitat. Itaque haec breuiter tantum.

§. 28.

Vt ergo transgrediamur ad alteram legitimationis speciem *ad processum* quam vocant, in exceptionibus *procuratoriis*, quarum sedes est in §. II. *Inst. de exceptt.* distinguunt nonnulli Doctores: vtrum processum retro reddant nullum, an non? Ac primo quidem casu etiam post litem contestatam in progressu litis eas opponi posse concedunt; altero autem, absolute eas ante litis contestationem obmouendas censent, adeo, vt posthaec iis amplius locus non sit. Dicunt autem, nullum iis retro reddi iudicium, si orientur ex inhabilitate intrinseca, atque huius discriminis demonstrandi causa cum ZANGERO de exceptionibus P.II. c. 8. n. 90. seqq. vtuntur auctoritate I.3. D. *de exceptt.* qua inter alia scriptum legitur: *procuratoriae quoque exceptions dilatoriae sunt, quae euitari possunt.* Dubitamus autem, an assentiendum sit contrariae opinioni, quum illa lege exceptiones procuratoriae, quia dilatoris annumerantur, tantum euitari posse dicantur,

sed



sed ne verbo quidem de tempore, quo opponendae sint, quidquam statuatur, neque etiam statutum esse possit, quoniam omni iure Romano tempus oppositioni exceptionum non est statutum, ut non dicamus, illud *euitandi* verbum ita esse intelligendum, ut declinari id genus exceptionum posse dicatur, si procuratoria ab initio adseratur.

§. 29.

*Continuantur
argumentum.*

Nos igitur spredo discriminare omnes omnino exceptiones procuratorias, sive ex inhabilitate procuratoris, ut loqui solent, intrinseca orientur, sive minus, post litiscontestationem opponi valide posse perhibemus propterea, quod ex natura carum satis euidenter intelligi atque deduci posse videtur, eas omnino omnes processum retro reddere nullum. Dantur enim contra omnes, qui procuratores esse sive ob mandati defectum, sive tanquam inidonei atque inhabiles prohibentur. Quomodo autem factum procuratorium talis personae valere potest? aut quomodo cogitari potest, tale factum, per se et natura sua inualidum, nisi ratihabitione domini conualescat, non etiam iudicium processumque infirmare? Iam si facta processum annihipliantia in omni iudicii parte vrgeri possunt, necessario etiam exinde efficitur, ut exceptiones eiusmodi quoque omni processus tempore aut quacunque iudicii parte obuertere agentibus liceat ad euitandam iudicii nullitatem, quam stufose et ex officio adeo auertere debent iudices.

§. 30.

*Confirmatur
hoc ex l. 24.
C. de procu-
ratoribus.*

Comprobant hoc, quod diximus, egregie l. 24. C. de procurat. licet in principio quaestioni persona debeat inquiri procuratoris, an ad agendum negotium mandatum a domino litis habeat: si tamen falsus procurator

rator inueniatur, nec dici controvrsiae solent; nec potest esse iudicium. Dicitur itaque hac lege, si falsus inueniatur procurator, nec dici solere controvrsias, nec esse posse iudicium. Quod significat, si quis muneri procuratoris se sine iure obtrusserit, causam peragi non posse, sed nulla procuratoris esse facta, quoniam, vt nonnemo ait, procurator falsus de iure nocere nequit reo. Quod igitur initio legis dictum est: *in principio quaestioni debet personam procuratoris inquire*, id potius cautiosus quam dispositionis loco factum esse videtur. Alias enim sequeretur, omnes exceptions procuratorias sine vlla limitatione opponendas esse statim in principio litis.

§. 31.

Itaque etiam exceptions procuratoriae, quae contra eum qui procuratorem constitutere prohibetur maxime *Amplificationem tur argumentum.* contendunt, omni tempore opponuntur. Qui enim ipse sese defendere nequit, quales sunt pupillus, minor, excommunicatus, bannitus, furiosus, mente captus, prodigus, mulier etc. nec procuratorem valide constitutere potest. *l. 11.* *l. 14. et 18. C. de procurat. l. 43. §. 1. ff. eod. l. 4. in fin. C. si aduers. rem iud.* Procurator itaque a tali persona constitutus, nunquam valide agere, ideoque et quounque tempore hac exceptione valide remoueri potest, quoniam nemo ab alio plus iuris, aut ius potius fortiusue consequi potest, quam quod ipse habet.

§. 32.

Actum est hactenus de iis tantum exceptionibus quae, nouiter emergentes, in omni iudicii parte et post interlocutionem super litis contestatione valide opponi possunt, quia ad notitiam rei citius non venerant, quibus apposui-

D *Constituitur
tertia limitatio.*

mus

mus quaedam exempla earum, quae ob metuendam processus nullitatem etiam post interlocutionem super litis contestatione obmouere eodem iure licet. Sed aliae supersunt adhuc causae, ex quibus id facere interdum licet; quarum una est, *si exceptio*, vt Doctores loquuntur, *habet trahum vel grauamen successuum*, h. e. si exceptio ita est comparata, vt quotidie grauet, vel grauamen exinde oriundum non sit transitorium, sed subinde redeat reumque eadem molestia de nouo oneret.

§. 33.

*Illustratur
hoc exemplo
exceptionis
loci non tuti.*

Huius generis exceptiones dantur plures; sed libet commemorare in primis exceptionem *loci non tuti*, quae reo vti licet, si in loco iudicij insignes habeat inimicos vel aduersarios, vel aliam iustam magni periculi metuendi causam, aut, si in aliis locis, quae absolute sibi transeunda sunt, antequam in locum iudicij venire possit, tale quid ex iusta causa vereatur. Atque haec quidem exceptio, quod semper opponi queat exinde appetat, quod grauamen exinde natum subinde redeat, adeoque per naturam suam non possit adstringi ad certum tempus, quoniam lite demum contestata fieri potest. vt prodatur reo id genus exceptionis, si quem citetur ad locum, vbi non satis tutus videri sibi queat. Quicquid sit vero, necesse est, vt ingens sit periculum, malumque graue, quod reo metuendum videatur arg. l. 2. §. 3. 6. D. *si quis cautionibus*. Qua de re si forte non constet, ex natura rei consequitur, vt veritas eius comprobetur ab allegante, quoniam omnia in facto posita non praesumuntur, sed probatione indigent. Iam quidem quod media probandi attinet, per iuramentum id fieri posse multi negant. Sed quibus rationibus, nos profecto ignoramus, quoniam omnia, quae ad liberationem impe-

impetrāndam in iudicio allegantur, regulariter iure iurando confirmare licet, praesertim si testibus, instrumentis idoneis, aut aliis remedis id fieri nequeat, et quod de dilatoris ante item contestatam oppositis et peremtoriis litis ingressum impeditibus forum obseruat, ut iuris iurandi delatione non in continenti probatae videantur, MENKEN. Proc. disp. VII. tit. XI. §. 12. neque ad eas, quae post item contestatam opponuntur, trahendum est, neque omnino ita ampliandum, ut litigatores ad impossibilia obligentur, iisque non superatis omni iure suo excidant. Etenim quam iniquum foret atque inuidiosum, reis propterea praescindere hanc exceptionem, quia aliis mediis probandi præter iuramentum desitutus est.

§. 34.

Verum oritur hoc loco quaestio, an, quae hucusque *Amplificatur argu-*
de hac exceptione diximus, etiam tum locum habeant, cum *mentum,*
quis aëris contagionem in loco iudicii metuat? Atque ad
hanc quidem quaestione, si quorundam Iurisconsultorum
in primis antiquorum sententia sequenda sit, ita est respon-
dendum, ut dicamus, eum, qui hanc exceptionem oppo-
suerit, modo constaret, forum ipsum ob aërem pestiferum
ortamque contagionem post emissam citationem esse clau-
sum, contumaciae accusari nullo modo posse; contra vero,
si pateant adhuc fora, nec praefens et probable mortis
periculum adsit, reum a comparitione in termino non ab-
solui, sed pro contumace habendum esse. Verum, ut in-
genue fateamur, nobis praferenda videtur sententia mi-
tior, qua non requiritur praefentissimum morbi periculum,
sed metus quoque et suspicio mortis admitti ad excusatio-
nem potest, modo non aperta sit temeritas et malitia exci-
pientis, cui nunquam patrocinantur iura. Atque, ut hoc
quidem

D 2



quidem statuamus, facit tum compages reliqui iuris, tum in primis auctoritas *l. 2. D.* si quis cautionibus. qua id haud obscure proditum esse intelligitur. Deinde si clausa fora desideres, ut absentia reorum impunis sit, quid opus erit allegatione rei notoriae ad poenam contumaciae euitandam?

§. 35.

*Diūta perti-
nent etiam
ad exceptt.
peremotorias
et contra
merita cau-
sae directas.*

Hae omnes, de quibus hucusque diximus, exceptiones, ad processum potius quam ad rem ipsam pertinent. Verum etiam multae exceptiones quae *merita causae* ipsa concernunt, atque a Doctoribus exceptiones causae, actionis et intentionis dicuntur, post litis contestationem valida ratione opponi nonnunquam possunt, prout rationes et circumstantiae rei ferunt ac postulant. Ut plurimum quidem id solet fieri, si exceptio de novo emergat, aut ad notitiam rei perueniat postquam lis est contestata.

§. 36.

*De exceptio-
ne compen-
sationis et
solutionis.*

Optime hoc intelligi potest exemplis exceptionum compensationis et solutionis, quas quidem lite licet contestata semper opponere permittitur, vbi de novo emergunt, aut reo innotescunt. Fac enim conditionem certi ex mutuo institui aduersus Caium, atque hunc quidem item contestari. Post actor vicevis debitor factus est rei, et debita vtrinque et credita aut omnino aut ex parte se mutuo tollunt, an igitur exceptione compensationis reo vti licet post item in priori termino contestatam? Et caret res dubio, quoniam notorii iuris est, per compensationem debita ipso iure extingui. *L. 14. C. de compensationibus.* Similiter ponamus, mutuum repeti ab haerede. Hic ignorans, testatorem soluisse, controversiam suscepit, litemque contestatur. Dein reperta apōcha, solutionem rescifit.

Quaeri-

Quaeritur, an exceptione solutionis vti queat? Et respondendum, quod sic, quoniam ignota non nocent, errorque aut ignorantia facti semper excusat. *l. 9. D. de fadī et iur. ignor.*

§. 37.

Pertinet hoc etiam exceptio *competentiae*, aut ne reus *De exceptio-*
conueniatur in plus, quam facere potest. *ne compe-*
Doctores in vniuersum mirifice discrepant, aliis quippe ad tentiae.
dilatorias, aliis ad peremtorias eam referentibus. Nobis
quidem ex vtroque genere quidquam trahere ea videtur,
quia tamdiu tantum creditori nocet, quamdiu debitor fa-
cere non potest, quod habet ex natura dilatoriarum, non
autem totam actionem perimat, qualis est natura mere pe-
remtoriarum ex §. 4. *Inst. de exceptt.* quin potius, cum
ad pinguiorem fortunam statumque soluendi peruererit de-
bitor, eodem modo cessat, quo beneficia cessionis bono-
rum illo in casu cessare solent, argumento *l. 4. 6. et 7. D.*
de cess. bonor. Quidquid sit huius rei, (neque enim lubet
plura dicere) exceptio illa quoque opponi potest quoquo
processus tempore, etiam post litem contestatam, quod
eleganter ostendit *l. 7. §. 2. D. solut. matrim.* Si in iu-
dicio dotis index, ignorantia iuris lapsus condemnau-
erit maritum in solidum: *Neratiū, Sabinus, doli ex-*
ceptione eum vti oportere aiunt, eaque tutum fore.

§. 38.

Existit hoc loco grauis quaesitio, an ea, quae diximus, *Liceatne in-*
ad interuenientem referri debeant? Quo loco monendum *teruenienti*
statim censemus, nos loqui de eo interuenientium genere, *lite contestia-*
quod reorum causa litibus alienis intercedere solet. Atque *ta exceptio-*
horum quidem intuitu distinguendum nobis videtur inter *nes opponere*
disquiritur.

D 3

accesso-

accessoriā interuentiōnē et principalem, h. e. viden-
dū, vtrum aliquis proprii commodi causa liti alienae in-
terueniat, an potius illi accedat eo cōſilio, vt réum deſen-
dat, iusque, quod cum eo ſibi commune eſt, contra acto-
rem tueatur, in quo quidem ſatis conſtat poſitam eſſe
vtriusque interuentiōniſ notionem per l. 31. §. 1. D. depo-
ſiti. l. 34. D. ſoluto matrimonio. Nou. 112. c. 1. c. 39.
X. de teſtibus.

§. 39.

*De interuen-
tione acceſ-
foria.*

Iam ad accessoriā quidem interuentiōnē quod atti-
net, res nobis videtur confici poſſe c. II. ut līte pendente
in 6to, vbi dicitur: *sane, ſi ad deſenſionem ipſius līti*
aliqui, quorum intererit, petierint ſe admitti: eos in
illo ſtatu, in quo ipſam inuenient, decernimus admittendos. Ex hac enim conſtitutiōne neceſſario conſequitur,
vt, qui accessoriā interuererit, actori regulariter nullas poſ-
ſit obiūcere exceptiones, ſi tempore quidem interuentiōniſ
ſuper līte confeſtata iam interlocutus eſt iudex, niſi quam
forte habeat exceptionem, qua reo principali ex cauſis ad-
ductiſ etiam in progressu līti vti licet. Conſtituit enim
propter ius commune vnam eandemque cum reo principali
perſonam, nec plus adeo iuris ſibi ſumere potheſt, quam
quod ille ipſe habet, vid. MYNSINGER. cent. 3. obs. 722.
et KNORR in proceſſu lib. II. c. 1. §. 3.

§. 40.

*De interuen-
tione prin-
cipali.*

Quantum vero concernit eos, qui principaliter inter-
ueniunt, ii opponere poſſunt actori quacunque exceptio-
nes, item licet confeſtata reperiant. Cauſa per ſe eſt
evidens, nec indiget longa probatione. Nam cum pro-
prio iure agant, propriūque commodi cauſa liti intercedant,
cum

cum reis principalibus vnam eandemque personam non constituant, adeoque anterior processus ad eos non pertinet. Inde necessario ex persona sua omnia agere posunt, quae defendendi iuris sui causa facere licet, recteque adeo actoribus opponunt quascunque exceptiones iuri suo profuturas. Vid. KNORR l. c. §. 6.

§. 41.

Monendum tamen hoc loco ducimus, eos qui principaliter interueniant, vt non posse exceptione iudicis incompetentis, aut declinare forum sub praetextu incompetentiae ex persona iudicis, scilicet propter connexitatem causarum. Id quod multo magis obseruandum est de iis, qui accessorie interueniant, vnamque cum reo personam constituent per l. 49. D. de iudiciis. *Vendor ab emtore denunciatus, ut eum euictionis nomine defenderet, dicit, se privilegium habere sui iudicis. Quaeritur, an possit item ab eo iudice ad suum retrocare? Paulus respondit, venditorem emtoris iudicem sequi solere.*

Vid. GAIL. lib. I. obs. 71.

*Adiicitur
refractio
quaedam.*

§. 42.

His itaque disputatis veniamus ad quartam exceptionem a regula quam supra constituimus. Nempe eo etiam casu, si exceptiones index reo reseruerit, eas deinde opponi recte posse cum MARTINO in processu Saxonico contit. XI. §. 1, n. 46. Doctores vnanimi sententia contendunt. Sed haec regula maxime ad dilatorias et litis ingensum impedientes pertinet. Vix perinde de peremptoriis neque ante, neque statim post litis contestationem oppositis idem in Germania statuet index ob Rec. Imp. de an. 1654. §. 57. ne actori ius ex ea lege quaesitum eripiatur. Forte tamen

*Pergitur ad
quartam li-
mitationem.*

tamen locum habebit talis reseruatio eorum gratia, quibus leges etiam ipsae restitutionis beneficium contra lapsum fatalis indulgent, rarius tum, quando lis a contumace negatiue contestata esse fingitur, iudici tamen, vtrum contumaciae poena commissa sit, aliquod dubium subnascitur. In eiusmodi singulari casu proderit iuris communis auctoritas, in quo afferre in primis lubet *const.* *Innocentii III. c. 13. X. de despōns. impub.* vbi denunciatione consanguinitatis ad impidiendum matrimonium facta, Pontifex scribit: *ad denunciationem legitime probandam terminum adjingamus, saluis exceptionibus, non solum propositis sed etiam proponendis.* Quibus verbis satis euidenter demonstratur, lite licet contestata et iniuncta probatione opponi adhuc posse exceptions, si quas probabili ex causa index reseruauerit.

§. 43.

*Explicatur
limitatio.*

Quam vero commemorauimus reseruationem exceptionum dilatoriarum et litis ingressum impeditientium, ea fieri potest vel expresse, vel tacite. Atque expresse quidem fieri solet ita, vt claris et planis verbis potestas excipiendi reo relinquatur, quod solet plerumque exprimi hac pronunciandi formula: *dass Beklagter mit seiner rechtlichen Nothdurft sich einzulassen schuldig.* Tacite contra exceptions reo tum reseruatae censentur, cum pronunciatum est: *dass Beklagter auf die erhobne Klage sich einzulassen und zu antworten schuldig.* Aliud reseruationis genus, cum exceptions ante item contestatam adductas et in continentia haud liquidas tanquam litis ingressum impeditientes non admittit iudex, sed opponenti, vt post item contestatam iis vii possit, reseruat, vid. apud MENKEN. l. l. §. XIV.

§. 44.

§. 44.

Solent quidem Doctores plerumque ex responsione *Continuatur rei aut affirmativa, aut negativa litis contestationem inferre, argumen-*
tum. eiusque rei causa prouocant ad cap. i. X. de litiscont.

Verum caput ipsum repugnat, cum non per positiones et responsiones ad eas, sed per petitionem in iure propositam et responsionem secutam contestatio litis fieri dicatur, hoc est, per eiusmodi responsionem, qua intentioni actoris contradicatur, quoniam satis constat, per confessionem aut affirmationem neminem contestari litem, aut suscipere controversiam, sed statim pro iudicato haberi, adeoque condemnari, ex l. 1. D. de confess. Accidit etiam hoc, quod verbum *respondendi* saepenumero in iure ciuili significare soleat litiscontestationem, quemadmodum quidem, ne autoritates legum sine causa cumulemus, l. 3. C. de procurat. eum, qui res agit haeredum, a quibus tibi deberi fideicommissum dicens, euoca ad praetorem, qui aut tibi respondere cogetur, aut ab administratione negotiorum secundum formam iurisdictionis prohibebitur. Quae cum ita sint, permanendum nobis videtur in significatione responsoris legitima, nec praesumendum, reo hac pronunciandi formula admittam fuisse facultatem excipiendi, praesertim cum res vergat in fauorem reorum, quorum commodis iura mirifice prospiciunt. l. 10. et 56. D. de R. I. Nobis certe, si hac de re quaestio in foro incidat, ceteris paribus ita videtur pronunciandum: daß Beklagter zur Zeit noch an seinen habenden Ausflüchten sich nicht versäumet, sondern mit deren Ausführung annoch billig zuzulassen. Atque id eo magis contendendum nobis videtur, quam hanc interpretationem formulae approbauebit Dec. Elect. Sax. 14. So lassen Wir Uns aus diesen und andern erheblichen Ursachen derjenigen Meinung, so da

E

da

da wollen, daß durch die Worte: Sich einzulassen und zu antworten: wann sie wider den ausengebliebenen Beklagten auf vorgehende Ungehorsams Beschuldigung gesprochen, demselben die dilatorischen Exceptiones nicht abgeschnitten, sondern solche nochmals in folgenden Termin ein- und vorgebracht werden könnten, allerdings gefallen. Tametsi in Electorali Saxonia rarior hodie hulus decisionis usus est, ubi reus sub praeiudicio rite citatus, nisi restitutionis in integrum beneficio gaudet, accusata eius in non comparando contumacia, tanquam confessus et conuictus secundum indolem libelli statim damnatur. O. P. S. ad tit. X. §. 2.

§. 45.

Pergitur tandem ad quintam limitationem.

Superesse nobis videtur vna adhuc limitatio, antequam finem huic libello imponamus. Nam tum quoque in progressu litis exceptions reo licet opponere, cum aduersus sententiam interlocutoriam in primo termino latam, qua quidem litiscontestatio fuit iniuncta, remedium suspensuum, uti Leuteratio, Appellatio etc. fuit interpositum. Hoc enim casu nondum praeterlapsus videtur primus terminus, quia remedio, vim sententiae suspendente, causa in eum statum reducitur, in quo ante remedii interpositionem versata est. Neque etiam res dubia potest haberi, propterea quod litiscontestatio nondum facta, aut controversia a reo suscepta, sed nunc demum ingredenda est.

§. 46.

Amplifica-tur limitatio.

Referre huc etiam solent Doctores eum casum, si exceptions dilatoriae aut per errorem ignorantiamque facti legitimo tempore non fuerint oppositae, aut si mulier, minor,

nor, ecclesia, aliaeque personae restitutione in integrum gaudentes, conueniantur; nec non, si quis ante litem contestatam de iis exceptionibus post reseruandis fuerit protestatus ex cap. 4. X. de exceptt. quod etiam maxime aequitati consentaneum esse putamus propterea, quod reus mediis probandi exceptions, quae sibi competunt, ante litem contestatam destitutus fuisse, aut non sufficientem earum cognitionem habuisse potuit, neque ignorantie iura aduersantur, sed eum a culpa excusant.

§. 47.

Sunt quidem nonnulli, qui ita hoc circumscribunt, ut *Occurruntur dubitationi.* dicant: opponi quidem posse ab iis, quas paullo ante commemorauimus, personis exceptions dilatorias etiam post litiscontestationem, si nempe fuerint exigui praeiudicii. Quod si vero maius praeiudicium in se contineant, eas in integrum restituendas esse perhibent, antequam intermissas exceptions opponere in litis progressu possint. Sed nos non videmus causam faciendi discriminis, propterea, quod nullo legis loco eiusmodi discriminem statuendum dicunt, omninoque expediti fit iuris, ratione illarum personarum parum referre, vtrum magni an parui res sit praeiudicii, sed si quo modo lapsae fuerint, iis semper succurendum esse per restitutionem in integrum.

§. 48.

Quae de iure communi disputauimus, quemadmo- *Vfus iuris Saxon. Ele-*
dum cum iure Saxonico Electorali conueniant, patet ex *toralis.*
Q. P. tit. XI. §. 10. vbi regulae, peremptorias omnes litis-
contestationi statim annexandas esse, subiungitur: *es wäre denn, das die Exception, so er hernach einwenden will, von neuen entstanden, oder er erst folgends Wissenschaft davon*

davon erlanget, und solches Eydlichen betheuren möchte, auf solchen Fall soll er auch hernacher damit zugelassen werden. Quod haud obscure confirmatum est O. P. S. R. ad e. t. §. 4. Speciatim post rem iudicatam praeter exceptionem solutionis et compensationis intra terminum executionis liquidae, de qua iam diserte meminerat O. P. S. tit. XXXIX. §. 3. noua lex iudicaria ad eund. tit. §. 6. etiam exceptionem transactionis et rei iudicatae, scilicet in continentia liquidam, in ipso termino executionis naturali ratione opponi posse constituit.

§. 49.

*Conclusio
libelli.*

Atque ita finiuimus hunc libellum, in quo quidem nos bene scimus atque etiam sponte ac lubenter confitemur, noui aut exquisiti nihil reperiri. Sed ignoscent lectores nobis eo magis, quo longius a rerum nouarum cupiditate remoti sumus, satisque habemus, si antiqua juris scita recte percepisse videamur. Hoc quidem modo si iudicium de nobis fuerit latum, plura fortasse, quae super hoc loco dicenda sunt, per proximam occasionem profremus.





Leipzig, Diss., 1776 A-G



f

TA→OL

aus 34 Steck bishor verku.

V.D
18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Farbkarte #13

Ra. 13. num. 33.
1776, 31.

D E
**EXCEPTIONIBVS
T INTERLOCVTIONEM SVPER
LITISCONTESTATIONE
XTRA ORDINEM VALIDE
OPPONENDIS.**

ILLVSTRIS
ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE,
VT VIAM SIBI
SVMMOS IVRIS SCIENTIAE
HONORES APERIAT,

A. D. IV. APR. A. N. CICICCLXXVI.

DISPV TABLT

CANNES FRIDERIVS DOLES
A. D. R. O. C. I. M. M. A. T. R.

LIPSIAE,
EX OFFICINA BREITKOPF

